

Ordinis, ut Ecclesia predicta aliquam utilitatem in futurum prosecui possit, religiosis dominabus Sanctimonialibus ordinis S. Clare Virginis de Claustro Virginis Gloriose per dominam reginam noviter in Veteri Buda pro eisdem dominabus sanctimonialibus constructo et per consequens eidem Claustro perpetuo et irrevocabiliter titulo feudali infradicendo dedisset, contulisset et locasset, ymo dedit, contulit et locavit coram nobis eomodo quod predictae domine Sanctimonialibus singulis annis singulos duos florenos, quemlibet cum centum denariis computando in festum B. Michaelis Archangeli sine crastinatione preposito dicte Ecclesie sue de Kukuenus pro tempore constituto ratione sub pena dupli, si non facerent, solvere tenerentur, prout Ladislaus procurator legitimus earundem dominarum Sanctimonialium asseruit coram nobis. Hoc etiam dixit, quod eidem domine duos florenos pro anno primo ratione predicta sibi persolvissent et super hoc easdem reddidissent expeditas. In cuius rei etc. . . .”.

Budapest, Arch. regnicolare. Dl. 5664.

Szombathely.

A. HORVATH, O. Praem.

• • •

JASZOVIENSIA

Cum editiones dissertationum doctoralium ob discrimina rerum oeconomicarum, bellum magnum consecutarum haud perficiantur, Facultas Philosophica Scientiarum Universitatis Hungaricae Budapestanae concessit eas etiam in manuscriptis praesentari, ne tamen huiusmodi opera res novas, hucusque ignotas in lucem proferentia publico celentur, libros summariorum talium dissertationum a se decrevit edendos esse.

Duo libri iam prodierunt, primus sub titulo A Budapesti Királyi Pázmány Péter Tud. Egyetem Bölcsészeti Karán az 1924/25-ik tanévben elfogadott *Doktori Ertekezések Kivonatai* és az 1919/20-1923/24. tanévekben elfogadott doktori értekezések jegyzéke (Summaria Dissertationum Doctoralium a Facultate Philosophica Regiae Scientiarum Universitatis Budapestanae a fundatore Petro Pázmány nominatae anno scholastico 1924/25. acceptatarum et Registrum Dissertationum Doctoralium annis scholasticis 1919/20-1923/24. acceptatarum). Secundus liber est continuatio primi et refertur ad annum scholasticum 1925/26. In ambobus reperiuntur epitomia dissertationum doctoralium a canonicis Jaszoviensibus praesertatarum, quarum tres historiam ordinis nostri concernunt.

Epitomia earum in linguam Latinam translata hic sequuntur.

Spilka Tibor Lörine : *A jászóvári premontrei kanonokrendi prépostság birtokainak Arpádés Anjoukori története* (Historia possessionum praepositurae ordinis canonicorum Praemonstratensium de Castro Jászó temporibus stirpis Arpadianae et de Anjou. — 160 pp. + 3 tabellae.) — (1924/25., nr. 87).

Dissertatio conficiebatur ex indiciis archivorum Castri Jászó. Constat ex duabus partibus summariis, quarum una primo de universali characterе evolutionis possessionum, dein de administratione earum per singula genera tractat, in altera vero parte historia cuiusque possessionis propria proponitur.

Vetustum indicium sunt litterae privilegiales Belae IV. regis Hungariae confirmationales, per quas priora iura privilegialia praepositurae, quorum scripta cum ceteris incendio a Tartaris excitato (1241) perierant, anno 1255 restituuntur. In his continetur inter alia metalis descriptio centralis territorii. Quae regio monasterium circumiacens, usque fluvium Gölnicz comitatui quoque de Scepus protensa, iam unum totumque corpus possessionarium, plene evolutum in his litteris provenit. Docent nos insuper eadem litterae praeposituram fundatione sua esse regiam et iam ab antecessoribus Belae IV regis possessionibus provisam. Factis recentioribus donationibus, terra monasterii tempore invasionis Tartarorum pluribus e corporibus constitisse apparet. Imprimis a Bela IV rege eiusque fratre Colomanno, rege Galicae, Sclavoniaeque hano acceperat canonici nova territoria ut donationes. Paravit sibi iterum novas possessiones etiam per cambium et compositionem, taliter autem alias et amisit. Inter possessionem villa Jászó evasit emporium, quo populi e regionibus vicinis fruges industrialiaque commutatum, idest mercandi causa convenire solebant, eoque magis, quia ipsa villa Jászó, qua sedes praepositurae, colonia opificum fuerat. Inde factum est, quod Jászó bonis materialibus adeo affluere coepit, ut novorum onerum ferendorum haud impos exstiterit, pro quibus postea susceptis, Albertus I praepositus eiusque conventus eam privilegiis civitatum regiarum consimilibus anno 1243 ornaverunt, ut communitas sui iuris et pollens libertatis valida validiorque fiat. Inter privilegia maioris momenti habebantur iura parochum et iudicem libere eligendi, fori hebdomadalis, metalla itidem libere exercendi, libera piscatio. Pars autem finium septentrionalium, ubi praepositura metalla exercuerat, a Carolo Roberto (1308-1342) rege abscisa, statuta est liberis regiis civitatibus montanis Gölnicz et Szomolnok nuncupatis. Ad sublevandam pro hoc indemnitate monasterii,

anno 1364, rex Ludovicus contulit canoniae *omne genus* metallorum, quod intra metas terrae monasterii inveniri contingeret, nullo, ne argenti quidem iure regio in iis remanente. Adnotationes directae de statu oeconomico horum temporum nullae in Castro Jászó reperiuntur, ideoque deficienter tantum de re agriculturae edocemur ex illa copia litterarum, quae eo fusiores materiam praestat ad difficultates administrationis bonorum cognoscendas. Difficultates erant partim externae: violentiae etiam ab ecclesiasticis illatae; partim vero internae: administratio rationi repugnans et pacta sinistri eventus praeprimis a Nicolao II praeposito (1350-1375), origine sua Austriaco inita, qui antea capellanus aulae regiae, bene merens, praepositura Jaszoviensi, neglecto a rege iure canonicorum praepositum sibi eligendi, potitus est. Cum ille alienigena, ideoque legum et consuetudinum Hungariae inscius exstitisset, regimen eius detrimento erat canoniae. Laus ei tamen tribuenda est, qui ad possessiones monasterii saeculo 14 peste orbatas novos colonos duci curavit, impetratis prius hunc ob finem a rege litteris privilegialibus.

Oriebatur ex his omnibus multitudo processuum, qui ante tribunalia regis et alia huic inferiora sunt absoluti, imo nonnulli eorum ad sanctam Sedem Apostolicam tracti.

Conspectus geographicus possessionum praepositurae medii aevi est ut sequitur: Jászó, Monostorheley (Jászóváralja), Hencsmalma, Meczenzéf, Olcsván (Jászómindszent), Rudnok, Méhlyuk, Debröd et Nihatateleik constituerunt centrale corpus possessionarum, monasterio circumiacens. Ceterarum similiter in comitatu de Abaujvár sitae erant: Perecse, Nyésta, dein tres in unam iunctae: Pocsim, Pocsej Monajkendi, necnon Kéracs, Novaj, molendinum prope Vizsoly, Gecse et Zsupapáti. In comitatu vero Gömöriensi Saulföldje et Endreföldje, in Szabolcsiensi autem piscina Kálló. In toto 22 oppida, villae, praedia et portiones possessionariae, hodiernis etiam temporibus fere iisdem metis.

Kumorovitz Bernát Lajos: *A leleszi konvent hiteleshelyi működése 1569-ig* (De Conventus Lelesziensis activitate authentica diplomatibus expediendis usque 1569. — 340 pp. + mappa diplomatico-geographica originalis). — (1925/26., nr. 102). — Cf. *Analecta Praem.*, Tom. III, Fasc. I, p. 111.

Dissertatio dividitur in duas partes summarias: una historiam Conventus praesertim ut loci credibilis conspectivam exhibet, in

altera autem parte activitas Conventus diplomatibus expediendis diligenter explanatur.

Actus cuiusque loci credibilis fuerunt duplicis generis : alii natura sua iuridici, et alii, qui his subsequebantur, scribendi. Cum hae actiones iuridicae consuetudine legibusque regni nisae sint, atque per omnia eadem fuerint, ac apud alios locos credibiles, breviter tantum in hac dissertatione exponuntur. Summum enim erat statuere, quousque iurisdictio conventus geographice se extendisset, et animum vertere ad cancellariam, et investigare, qua organisatione directa, quibusque taxis usa esset, expeditiones ac omnem laborem cancellariae experiri, cognoscere rationem registra ducendi, et demum perscrutari Archivum Conventus Regnicolare.

Conventus Sanctae Crucis de Lelesz, Ordinis nostri, ut locus authenticus iurisdictionem exercuerat in 23 comitatibus Hungariae ut districtu (quarum nomina sunt : Zemplén, Ung, Máramaros, Bereg, Ugocsa, Szabolcs, Bihar, Kolozs, Kraszna, Abauj, Gömör, Borsod, Sáros, Heves, Nógrád, Fehérvár, Hunyad, Békés, Közép-Szolnok, Belső-Szolnok, Doboka, Hont, Csongrád), cuius territorii limites XV et XVI saeculi in una mappa originali, dissertationi annexa videri possunt.

Cancellaria huius loci authentici oriebatur circa medium saeculi XIV cum personali, quod constitit ex notario, subnotario et litteratis, seu scribis. Laboribus cancellariae praeerat notarius, qui nonnunquam etiam circa negotia externa loci credibilis quoque functus esse comperitur. 24 notarii, 21 subnotarii et 76 litterati nunc noti facti sunt. Custodes — demptis paucis casibus (cum loco eorundem cernitur prior) — tenebant moderamen cancellariae totiusque activitatis authenticae. Hoc officium custodis venit ex fiducia, ideoque missionem suam accepit a Praeposito.

Sigillum erat sub eius custodia, proventibus loci authentici is quoque disponebat. Eius erat archivum dirigere et disponere, similiter et custodire ; mos quoque erat maioris momenti processus ab eo personaliter perficendos esse. Totius canoniae, itaque etiam loci credibilis supremus moderator fuit — ut patet, — praepositus, qui de activitate conventus authentica coram legibus regni respondere debuit. Plurimi eorum venerant ex aula regia, quare praxi loci credibilis salubriter profuerunt.

Haec dissertatio continet seriem praepositorum Lelesziensium emendatam, item priorum et custodum nunc compositam. (Serie praepositorum unus hucusque nobis ignotus interpolatus est, unius alteriusque anni gubernationis correcti sunt).

Expeditiones conventus congruunt in omnibus suis partibus externis cum editionibus aliarum corporationum, quae iure diplomata emittendi pollebant. Litterarum patentium et clausarum formae interiores, exeunte saeculo XIII, iam stabiles sunt, quod in privilegiis a conventu editis solum circa medium saeculi XIV animadvertitur. Pro assignatione temporis sumitur in litteris dies fassionis, saeculo autem XVI, dies sigillationis. Nomen praepositi Lelesziensis in intitutione semper complecti influxum diplomatum regalium esse non dubitatur. Dispositio textus relationum, similiter circa medium saeculi XIV, stabilisata est; signantur die, qua homo regius de peracto suo officio conventui retulit. Taxae pro negotiis per locum authenticum perfici solitis in hoc opere pro diversis temporibus et speciebus in ordinem collectae in tabellis legi possunt, ceterum a saeculo XV. congruunt cum taxis a legibus regni praescriptis.

Registra in cancellaria circa annos 1418-20 scribi incipiebant, plenior tamen copia eorum solum a temporibus anno 1450 insequentibus exstat. Tria genera registorum Leleszini usu recepta erant: 1. ipsa registra proprie dicta; 2. registra relationum, et 3. registra signaturarum. Saeculo XV nonnisi unius generis registra habebantur, in quibus scilicet conceptus cum signaturis variantur, divisa autem sunt inter 1495 et 1500. Genus 2. nonnisi ex annis 1549-50. superest, 1. et 3. vero per totum aevum hunc in usu fuisse constat. Pro nomenclatione "Registrum" ab 1519. assumitur vox "Protocollum". Activitate authentica grandis copia litterarum collecta est in archivo, quod praeter registraturam etiam litteris a partibus privatis custodiendi causa in conventu depositis auctum est. In appendice fragmentum registri proventuum loci authentici ex annis 1355-56. explicatur.

L á g y i ImreKornél: *A jászóvári premontrei kanonokrendi prépostság története: A commendátor-korszak, 1552-1699* (Historia praepositurae ordinis canonicorum Praemonstratensium de Castro Jászó: Tempora Commendatorum, 1552-1699. — 140 pp. + 2 illustrationes photographicae + 1 adumbratio architectonica + 2 tabellae). — (1925/26., nr. 103).

Dissertatio praeter litteraturam e datis archivorum Castri Jászó confecta est. Introductione iuris historica praemissa, constat ex tribus partibus summariis, quarum prima curricula vitae praepositorum commendatorum praestat, in altera de rebus possessionariis

praepositurae, in tertia demum de activitate juridica conventus qua loci authentici agitur.

In introductione post explanationem principalium specierem commendarum abusus circa beneficia ecclesiastica fundamento iuris supremi patronatus a regibus Hungariae taliter collata orti, atque prohibitiones contradictoriae e parte ecclesiasticorum, imo et civilium adversus hos abusus factae considerantur. Canonici Praemonstratenses de Jászó, ineunte saeculo 16, paulatim minuti, prae discrimina bellicosa tum contra Turcas, tum inter partes regni perpetuata et accrescentia, in terras alienas confugerant, praeposituraque sic derelicta, beneficium vacans evasa, ab 1552, sub titulo proventuum supplentiae dari coepta est iis episcopis, quorum dioeceses similiter progressu invasionis Turcarum e gubernatione ecclesiastica partim, vel ex toto cesserunt. Tenuerant eam praeposituram etiam barones saeculares.

Series horum commendatorum *quattuor novis*, hucusque ignotis augetur, quo numerus eorum ad 20 excrevit, anni autem dominationis ceterorum passim correcti sunt.

Caput de oeconomia disserens subdividitur in duas partes, quarum una de universali characterе oeconomiae commendatorum, dein de administrationis eius variis generibus tractat, altera vero pars historiam cuiusque possessionis propriam.

Fructibus huius latifundii monasteriis nitebatur cultura per canonicorum coetum propagata, qui finis oeconomiae, anno 1552, vertitur in alium: utilitati abhinc *quasi privatorum*, ad Ordinem non pertinentium proderit, solis oneribus locum authenticum administrandi, et ab 1591., cum Monasterium de Jászó Castrum Jászó, id est fortalitium factum est, etiam oneribus rerum militarium suscipiendis. Recentes fruitores multiplicare proventus omnimodo, ne violentia quidem erga populos monasterii seposita, conabantur. Impignoratas possessiones redimunt, quod ut facere possint, alias aliis obligant; item alias propter longinquitatem tenues proventuum vendunt. Impedimentorum bellicorum ex rei natura infirmi sunt, saepe autem in litibus stant (etiam in causam attracti) cum nobilibus commetaneis. Litigia possessionaria exoriebantur porro inter vicinas villas terrae monasterii; certus huiusmodi casus effecit, ut usum fructuum perceptio, praecipue silvarum regionis Jaszoviensis et de Mindszent coram sede dominali in Castro Jászó, anno 1689 celebrata, limitata sit. Per extirpationem silvarum augebatur terra arabilis villarum, sic et ustione orta est nova villa Kerekes et scultetia Sűgó, ambae intra fines Meczenzéf. Villanei in silvis ceterum

severae custodiae datis, porcos plurimos aptissime alebant, pecudes similiter numerosas pascebant, quod characteristicum confiniorum erat, cum iumenta prae incursantibus Turcis abigi possent, ideoque hic modus quaestus parandi anteponebatur agris colendis, vastationi inimicorum obnoxiiis. Annis tranquillis tamen inter ea, quae e terra gignuntur, communis erat productio hordei; contubernium braxatorum in Alsómecczenzéf anno 1664. iam exstitit. Contubernia huic similia, seu caehatus in locis, quibus opifices industriam exercebant, in 3 scilicet civitatibus montanis praepositurae oriebantur: Jaszoviae anno 1569. doliariorum, 1625. laniorum, in Felsőmecczenzéf vero anno 1667. sutorum; alii opifices extra caehatus operabantur. Eadem oppida erant in territorio monasteriali etiam emporia mercationis; fora enim hebdomadalia, ac nundinae in iis celebrari solebant. Industria fabricali, praeter artem fodinalem et molendina Jaszoviensium, utraque Meczenzéf excellebat, in quibus non solum fodinae, imprimis ferri, et cupri colebantur, sed etiam malleis et uni officinae vitri frequens opera data est. Urbaria manserunt ex 1611, Jaszoviense autem ex 1596.

Possessiones praepositurales erant ut sequitur: Jászó, Alsó- et Felsőmecczenzéf, Kerekcs, Sűgő, Mindszent, Debrőd, Rudnok, Mélyvölgy et dimidietas villae Ujfalu constituerunt territorium centrale. Similiter in comitatu de Abaujvár, sed dispersae adiacebant: Perecs, Alsónovaj, molendinum prope Vizsoly, vinea Mádensis, Nyésta, Manajkendi et Zsupapáti; in comitatu vero Szabolcsiensi piscina Kálló cum praediis Czereczye et Szölöske. In toto 20 nominatenus nota oppida, villae, praedia, portiones possessionariae, molendina cum pertinentiis et vineae.

Activitas authentica conventus ut loci credibilis in sua essentia concordat cum illa mediæ aevi. Progressus aliquis a 16. saeculo in æo animadvertitur, quod fassiones a partibus similiter et relationes de executione mandatorum a hominibus regiis et conventualibus exmissis factae in scriptis conventui praesentabantur. Conceptus diplomatum in cancellaria scribebantur in ipsas fassiones, et quidem protocollum litterarum super primordia fassionum, post fassionem vero eschatocollum. Quod servatum est etiam in relationibus mandatorum concipiendis, quae, quoniam in margine scribebantur, textum mandati cingebant. Hae relationes protocollis seu registris inseri non solebant, cum mandata de facto protocolla relationum fuissent. Conventuales minimi numeri a Commendatoribus sustentati sunt (2), quae corporatio e parochis regionis istius completa est; munere

officialatus cancellariae iuratus notarius conventus fungebatur, 16 protocolla authentica horum temporum nobis manserunt.

Gödöllő.

Dr. L. SPILKA, O. Praem.

* * *

LITTERATURA DE TRANSLATIONE S. P. NORBERTI A. 1627 EIUSQUE IUBILAEIS

A. 1627 : Maur. Du Pré, *La vie du s. Norbert ... contenant l'origine, progrès et avancement de l'ordre de Prémontré ... l'invention du corps ... s. Norbert*. Paris, 1627. — [Amandus Fabius], *Narratio translati è Saxonia in Boemiam sacri corporis beatissimi viri Norberti*. Pragae, Paulus Sessius, 1627. — [Amandus Fabius], *Octiduum S. Norberti triumphantis*. Pragae, ap. Petrum Gelehnn, 1627. — Corn. Galle, *Vita S. Norberti ... concinnata et elogiis illustrata*. Antverpiae, s. a. [1627] juxta editionem a. 1595. — Sigism. Kohelius, *Nonnullorum Patrum vitae*. Typis monasterii Lucensis iuxta exemplar de a. 1608. — Wilhelmus Mader, *S. Norberto nuper Magdeburgi reperto hodie Pragam translato, cœnobium Rothense hos anagrammatismos panxit, pinxit, cecinit*. Ravensburgi, 1627, cum icon. — Mich. Malcorpius, *Divi Norberti vita*. Leodii, 1627. Iuxta exemplar a. 1599. — Mart. Merz, *Norbertus triumphans in vita et translatione descriptus*. Ravensburgi, typ. Joan. Schroter, 1627. — Dionys Mudzaerts, *Het leven ende de verwoeringhe van den H. Norbertus*. Antwerpen, 1627. Alia ed. 1630. — *Narratio translati e Saxonia ... s. Norberti* vide Fabius. — *Octiduum S. Norberti* vide Fabius. — z Lerchenfeldu Jan Sixt : *Zivot S. Norberta*. Litomerice, 1627. — Julius Solimanus, S. J., *Orationes de s. Norberto, de s. Wenceslao*. Pragae, 1627. — Steinfeldensis anonymus : *Vita, acta et mors Ss. Norberti, Friderici, Hermanni Joseph, Godefridi rhythmis germanicis compilata*. Coloniae, 1609. Denuo cum enarratione solemnitatuum Pragae a. 1627 recusa. — J. Chr. Van der Sterre, *Vita S. Norberti*. Antverpiae s. a. [1627]. Iuxta exemplar de a. 1623. — *Vita, mors et translatio S. Norberti*. Pragae, typis archiepiscopal. exc. Paulus Tuschere, 1627. — A. 1628 : Jan z Lerchenfeldu Sixt, *Preneseni sv. Norberta*. Litomerice, 1628. — J. Chr. Van der Sterre, *Leven van S. Norbertus*. Antwerpen, 1628. — A. 1629 : J. Chr. Van der Sterre, *Echo S. Norberti triumphantis*, Antverpiae, 1629. — Idem, *Vita S. Norberti*. Antverpiae [1629]. Cum icon. Theodori